

DESCRIPTIO TERCERA



DESCRIPTIO TERCERÆ.

631

PROFECTVRIS ex Hispania, Anglia, vel Gallia Belgica, in Indiam Orientalem aut Occidentalem, præternavigandæ sunt **INSVLÆ** quædam quas **FLANDRICAS** vocant vel **ASORES**, suntque numero **VII.** *Tercera, S. Michaëlis, S. Mariæ, S. Georgij, Gratiôsa, Pico & Fayal*: quibus duas quidam adnumerant Flores & Coruo, quæ tamen non sunt Afores. Dicuntur Afores ab accipitrum multitudine, qui primùm has insulas intrantibus apparebant, nunc nulli sunt. Flandricæ quod à Flandris inuentæ cultæque. Certè in Insula *Fayal* etiam nunc familiæ quædam Flandrorum sunt, & torrentis nomen vetus *Ribera dos Framengos*. Præcipua omnium & quasi caput est **TERCERA**, quam Hispani vulgò nominant *Isola de Iesus Christus de Tercera*. altitudine graduum **XXXIX.** Milliaria quindecim aut sedecim complectitur, altissimo & montoso solo: rupibus cingitur, naturali munimento, quæ sicubi deficient, propugnacula ab arte earum vicem supplent. Portum sinumue defendendis nauibus idoneum nullum habet. Itaque naues Hispanicæ aut Lusitanicæ rarò illuc adpel-lunt, sed scaphas tantum suas emittunt, si qua re opus habent, ipsæ intereà cursum obliquant. Tanta autem est ventorum circa hanc insulam impotentia, vt saxa, ferrum, & quicquid ventis expositum est arrodatur atque atteratur. Narrat Ioannes Hugonis à Linschoten, vidisse se clathros ferreos in telonio Regio positos crassitie lacerti, intra sexennium attritos ad tenuitatem straminis, lapides verò planè ad-fos, vt nihil superesset. Vrbes duæ sunt *Angra & Villa de Prapa*. Angra ab ore aperto, vel bicorni luna nomen traxit Lusitanicum, est enim mare circa urbem lunari flexu patens. Austrum versus duo montes in mare procurrunt, quos vocant *Bresijl*, sunt autem altissimi, patetque ex ijs prospectus ad **xv.** vsque miliaria. In alterius vertice duæ columnæ sunt, è quibus speculatores insulani signum dant nauium aduentantium: quæ si plures numero fuerint quam quinque, maius vexillum erigitur, dato etiam buccina signo. Tales speculæ per reliquas insulæ oras certis interuallis sunt dispositæ. Præterquam

Rr 4

